



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

- I. Anastasij factum erga Atticum veteris Epiri Metropolitanum excutitur. Ejus præsumptionem Leo damnavit, Anastasium redarguens verbis asperrimis, usurpatorem etiam eum vocans, & à similibus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Anastasij factum erga Atticum veteris Epiri Metropolitanum excutitur. Ejus presumptionem Leo damnavit, Anastasium redarguens verbis asperissimis, usurpatorem etiam cum vocans, & à similibus abstinere in posterum jubens.

II. Nova deinde mandata illi dat, sumpta partim ex veteribus, qua heic explicantur vel illustrantur, partim de novo addita. Ea mandata recensentur. De ordinationibus Episcoporum cum consensu Anastasij peragendis.

III. Bina per unumquemque annum Concilia celebrentur, in quibus omnes cause ecclesiastice judicentur. De relatione Metropolitanorum ad Episcopum Thessalonicensem, & istius ad Romanum Pontificem. Majores cause ad sedem apostolicam referende.

IV. Transiit deinde ad ambitionem quorundam Episcoporum, qui civitatis sue mediocritate despecta, ad majores Ecclesias migrabant contra canones.

V. Sequenti capite Leo sancit supremum Thessalonicensis antistitis imperium in provincias Illyricanas, dum ei tribuit auctoritatem coercendi universos provinciarum illarum Clericos.

VI. Rursum prescribit modum qui servari deberet in celebratione Conciliorum generalium. Nam Anastasius erat abusus potestate quam illi circa hoc Leo tribuerat.

VII. Ea praterea erat Anastasij pervicacia, ut suam unius sententiam prevalere debere contendere collectis Episcoporum suffragiis. Ob quam presumptionem castigatur à Leone.

I. PROXIME diximus Leonem praeavere voluisse ne effusa illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas, quæ jam magnitudine laborabat sua, verteretur in dominatum, facili descensu à recto potestatis usu ad abusum. Ea de causa illi mandata dederat in quibus omnia causarum genera provisâ putabantur. Factum est tamen ut cum Atticus veteris Epiri Metropolitanus, excusationem infirmitatis obtendens, non accessisset Thessalonicam, quò evocatus fuerat ab Anastasio, fortassis ad synodum, Anastasius eum Thessalonicam deduci fecerit cum auxilio brachij secularis, ut hodie loquimur, adita scilicet præfectura Illyrici, cujus auctoritate Atticus ab Ecclesiâ adytis extractus, non ob molestiam ægritudinis, non ob sævitiam hyemis datis induciis, Thessalonicam ab officiiis publicis deductus, sponsonem fidei coactus est Anastasio dare in scriptis. Præsumptionem illam damnavit Leo, Anastasium redarguens quòd à traditis sibi regulis immodicè discessisset, satis innuens suspectam sibi fuisse nimiam illius potentiam, adempturus fortean illi vices suas, si adimi citra scandalum potuissent. Dum dominari magis, inquit, Leo epil. 84. quàm consulere subditis placet, honor inflat su-

& binos ternosve Episcopos de singulis provinciis adesse sufficiat, ut leve fiat paucis quod multis esset onerosum. Insignis est eam in rem locus ex epistola Concilij Ariminensis ad Constantium Augustum: in qua Episcopi postulantes fieri sibi potestatem abeundi, inter causas petitionis suæ recensent paupertatem quorundam & fatigationem præterea eorum qui senio confecti erant; ne dicam quòd ex congregatione generalium Conciliorum fiebat ut Ecclesiæ essent desertæ. *Oramus etiam ut præcipias tot Episcopos qui in Arimino detinentur, inter quos plurimi qui ætate & paupertate defeciti sunt, ad suam provinciam remeare, ne desituti suis Episcopis laborent populi Ecclesiarum.* Huc fortassis respiciebat Sulpitius Severus in libro secundo sacræ historię; ubi enarrans quomodo Constantius Episcopis synodi Ariminensis annonas & cellaria dare præceperat, ait id quibusdam Episcopis indecens visum, qui, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt, tres tantum ex Britannia, inopia proprij, publico usus esse, cum oblatam à ceteris collationem respiciissent, sanctius putantes fiscum gravare quàm singulos.

XII. Edicit præterea Leo, ut quisquis superbo animo, cum nulla corporis vel cause fuerit necessitate detentus, fratrum sepius voluerit vitare conventum, se sciat esse judicandum. Quippe in synodis cuncta discutebantur quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, etiam vita & conversatio Episcoporum. Itaque fieri poterat ut aliqui Episcopi vitarent conventum, ut se cognitioni iudicum suorum subtraherent. Hos ergo contumaces, etiam absentes, judicandos esse pronuntiat in synodis. At si qui non adsint ob ægritudinem vel ob aliam justam causam, horum excusationem esse admittendam, adeoque damnandos non esse. Placuit istud etiam aliarum provinciarum Episcopis, maxime verò Gallicanis, ut docet infra illustrissimus Archiepiscopus. Falluntur autem qui existimant canones Gallię excusationem, quò minus Episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, nullam agnoscere, ut alibi dicitur.

XIII. Denum Leo nonnulla circa disciplinam ecclesiasticam prescribit Episcopis illis: quæ cum non pertineant ad auctoritatem Anastasij, sed ad custodiam canonum in universum, consultò omitimus. In fine verò jubet eos servare constituta à se missa ad Anastasium.



Vide librum Lib. vii. cap. 18.

Epist. lib. vii. cap. 18.

De Decretis Lib. 1. cap. 10.

De Decretis Lib. 1. cap. 10.

De Decretis Lib. 1. cap. 10.

perbiam, & quod provisum est ad concordiam, tendis ad noxam. Quod ut necesse habemus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit. Me ipsum enim quodam modo trahi in culpam sentio, cum te à traditis tibi regulis immodicè discessisse cognosco. Addit postea Leo non debuisse illum tam atrociter commoveri adversus Atticum, & ad se referbere antè debuisse de causa ejus, ut ipse judicaret an legitima esset illius excusatio, cum in mandatis accepisset Anastasius ut si quæ causa major incideret in provinciis Illyricianis, eam relatione sua deduceret ad apostolicæ sedis examen. Multum stupeo, frater carissime, sed & plurimum doleo, quod in eum de quo nihil amplius indicaveras quam quod evocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter & tam vehementer potueris commoveri; præsertim cum etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberem. Et rursum: Etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres quam quod nobis placeret agnosceres. Tum, ne deinceps similis scandali materia suboriri posset, instruendum esse eum ait, ut post præteritorum malorum experimentum remedia præparentur venturis. Ac ne putaret Anastasius cuncta sibi licere, usurpatorem eum vocat apertis verbis, dum ait præminere quidem debere in illis provinciis episcopatus ejus fastigium, sed amputandum esse totius usurpationis excessum. Hæc sunt ejus verba: *Necesse est post multarum experimenta causarum sollicitius prospici & diligentius præcaveri quatinus per spiritum caritatis & pacis omnis materia scandalorum de Ecclesiis Domini quas tibi commendavimus auferatur, præminente quidem in illis provinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.*

II. Sic castigato increpatioque Anastasio, Leo nova dat mandata, sumpta partim ex veteribus, quæ heic vel explicantur vel illustrantur, partim de novo addita. Primum quidem decernit ut Illyricianarum provinciarum Metropolitanis sua jura serventur, ita tamen ut illi à regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant, quod respicit obedientiam quam illos Thessalonicensi Episcopo debere certum erat Leoni. Deinde verat secundum canones ne ad episcopatum laici aut neophyti promoveantur, nec qui secundæ conjugis sit maritus, neque qui viduam duxit uxorem, etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciantur; cum sacerdotum tam excellens sit electio, ut hæc quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Tertiò edicit ne Subdiaconis liceat esse ma-

ritis, ita ut hi qui habent uxores, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares, id est, uxores ducere non præsumant. Antiquis canonibus constitutum erat, quemadmodum dictum est in primo libro hujus operis, uti Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abstinerent. Quæ lege licitum videbatur Subdiaconis habere conjuges, etiam post Siricij constitutionem. At Leo Subdiaconis Illyricianis prohibet connubium carnale, ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem. Tum confirmat præfata statuta de continentia Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, decernens eos gradibus suis esse indignos qui se à voluptate uxoria necdum frænasse deteguntur. Quartò præscribit modum faciendarum electionum episcopalium, & ut nullus invitis & non petentibus ordinetur. Quod fortassis scriptum est adversus Metropolitanum Achaïæ, id est, Corinthiensem Episcopum, qui Thespiensibus invitis & repugnantibus incognitum & antè non visum Episcopum consecraverat, ut testatur ipse Leo in citata epistola ad Metropolitanos per Achaïam provinciæ constitutos. Quintò jubet ut postquam electio facta fuerit in quapiam provinciarum Illyricianarum Ecclesia, Metropolitanus electi Episcopi ad Thessalonicensem referat de persona ejus & de clericali plebisque consensu, ut ordinationem rite celebrandam Thessalonicensis Episcopi firmer auctoritas. Ex quo intelligimus quid sibi voluerint Leo & prædecessores ejus Romani Pontifices, cum decernerent uti servatis Metropolitanorum privilegiis, nullus inconsulto Thessalonicensi Episcopo per illas provincias ordinaretur antistes. Quia tamen ingens illa potestas maturo & decocto judicio indigebat, ut Leonis verbis utamur, Anastasium monet ut postquam illi constiterit electionem rite ac legitime factam esse, nihil moræ aut difficultatis afferat ordinationi, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Idem circa Metropolitanorum ordinationes statuit servari, jubens ut Metropolitanus defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolitani conveniant, ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconis optimus eligatur. Excludit ergo Subdiaconos à dignitate episcopali, qui avodemum Urbani secundi ad eam dignitatem accedere permitti sunt, ut dicitur infra. Cum verò facta sic fuerit electio Metropolitanus Episcopi, de persona ejus ante ordinationem referendum esse pronuntiat ad Anastasium, decernens irritam esse ordinationem quæ

De Neophytorum ordinatione vide supra lib. 1. cap. 8. p. 6.

Vide Istoria Populi Romani lib. 1. cap. 11.

Vide supra lib. 1. cap. 1. p. 4.

Vide Istoria Populi Romani lib. 1. cap. 11. p. 7.